



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

100. Fer. 3. Oblivio judicij extremi dedit audaciam Pontificibus sic
judicandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 2. Dom. 4. Quadrag. 165

spere capto jam IESV. 7. Apud eisdem mane, Marc. 15. Vnde D. IESVS traditus est gentibus ad mortem.

Conf. 2. Admirabile Dei consilium utentis tam scelerato malorum concilio, & efficientis, ut mors morte vinceretur, & diabolo caput quassaretur, inventori, & primo homicidæ. Quid enim magis mirabile, quàm quòd contrarium privativum agat, ut tenebræ sint causa lucis, cæcitas visus, mors vitæ, quemadmodum hoc Concilio secutum est. Hoc artificium solius DEI est crucifixi: Cruce, instrumento mortis, patibulo reorum, nido ignominie, arcâ maledictionis aditum fieri ad honorem, exaltationem, vitam gratiæ, & gloriæ. O igitur bona crux.

MEDITATIO C.

Feria 3. Dom. 4. Quadrag.

Oblivio iudicij extremi dedit audaciam

Pontificibus sic iudicandi.

Aspiciam totius Magistratûs Hebræi confessum, & in medio D. IESVM vinctum. Petâ agnoscere processum iudicij iniquissimi.

Conf. 1. Interrogationem iudicis, quâ Christum volebat arguere ut seditiosum, & novarum rerum factorem, cui Christus respondit se palam locutum mundo. Sed cur jam non loquitur? Discam, audire Dominum, quando

quando ipse vult. Interea unus assistens minister dedit aliam Jesu dicens: Sic respondes Pontifici? Videlicet malorum imitatio pro mortaliū ingenio peiora semper excogitat, sed Christus dilemmate vitatur pleno mansuetudine, veritate, & iustitia: Quia tunc silentium rumpendum est, quando ei conjuncta est læsio proximi.

Conf. 2. Quomodo misit eum Annas ad Caipham Pontificem, vel denuo ligatum, vel sicut venit, ligatum: Suspicebatur enim Caipham, cum esset astutior, excogitare aliquid contra Christum posse. Hic *Mentita est iniquitas sibi*, tot falsorum testium evocatione, quos Christus silentio refutat. Maxima Jesu laus, sic omnia fecisse, ut nullam veræ reprehensionis similitudinem in eo invenerint multi mali, & astuti.

Conf. 3. Exurgens autem summus Sacerdos in medium Marc. 14. furore superatus, sibi que responderi volens: *Adjuro*, inquit, *te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius DEI benedicti.* Fuit hoc vas ferri dilemma: quid enim taceret Christus? ergo superbus Numinis contemptor, extremis dignus cruciatibus. Negaret Filium DEI se esse? ergo sua confessione, alias magnifice hoc prædicans, mendacij & quidem atrocissimi esset reus, *Fateretur*

tur ultro? ergo usurpatæ divinitatis convin-
ceretur, de scelere omnium supremo. Quar-
ta evadendi via nulla esse videbatur. Sed
Christus, qui gloriam DEI omnibus prætu-
lit, eique reliqua omnia impendi debere do-
cuit, se quis esset, confessus est: *Tu, inquit,*
dixist. Matt. 26. *Ego sum: & videbitis Filium*
hominis sedentem, &c. Marc. 14. Sed cur audi-
to: *Ego sum,* non abeunt in terram? quia sa-
tellites & rudem plebem miraculo, doctos
propheta admonere voluit, & quidem judi-
cij venturi, cujus memoria medicina omni
morbo est.

Hic videbo omnium gravissimum errorē,
quòd Pontifices responsum Christi non ulte-
rius examinerint, nec probationem ejus
audiverint, quæ futura fuisset longè claris-
sima. *Qui omnes* (Marc. 14.) *condemnaverunt*
eum esse reum mortis. O execrabilis præcipita-
tio! O errorem affectatum: quia non verita-
tem, sed necem Christi quærebant: non ratio,
sed intemperans affectus gubernabat, qui i-
pſis memoriam iudicij DEI excussit. Hic cur-
rus est ad infernum devehens, cujus quatuor
rotæ l. 4. S. Brigit. c. 17. exclusæ: 1. *Reverentia,*
& Timor DEI. 2. *Finis hominis, & iudicium.*
3. *Spes longa vite.* 4. *Voluntas peccandi usque*
ad finem. Hi nulla admonitione surgere pos-
sunt, & ruunt æternū. Resolvam me ad hæc
cvi-

168 Feria 4. Dom. 4. Quadrag.

evitanda, & futuri iudicii memoriam tenendam, sive præsim, sive sublim.

MEDITATIO CI.

Feria 4. Dom. 4. Quadrag.

*Octo horrore plena in Christum patrata
in Domo Caiphe.*

Aspiciam funestam illam noctem, & potestates tenebrarum nocti illi præsidentes, & audiam, quonam modo agant cum DEO meo. Petam agnoscere, & exemplum patientiæ Christi imitari.

Conf. 1. Verba Evangelistæ Matt. 26. Tunc exspuerunt in faciem ejus, de qua Ps 84 Ostende nobis Domine faciem tuam, & salvi erimus: Marc. 14. Et cæperunt quidam conspuere eum. Spuere in faciem ignominiosissima ù fuit, ideo tales septem diebus rubore suffundebantur. Num. 12. Spuit in faciem Christi, qui gratiæ ejus præsentiam respuit, ait D. August. Lib. de qq. Evang.

2. Et velaverunt eum. Luc. 22. ut liberius insanirent, velârunt illos omnia videntes oculos Eccles. 25. Velat oculos, qui gratiam cognitionis à se abscondit, ait Glossa.

3. Et colaphis eum ceciderunt. Matt. 26. a pertis manibus, quæ res viris est omnium ignominiosissima. Colaphis Christum cædunt, qui honores suos præferunt, ait Aug.

4. Et